



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXLV. An ratio imaginis solum conueniat Filio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

imago, & gloria Dei est. Ergo non est proprium filio.

Lib. 6. c. 7. de Trin. c. 2. tom 3. Sed contra est, quod August. dicit 7. de Trinitate, quod solus filius est imago patris.

Respondeo dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt Spiritum sanctum esse imaginem patris, & filij. Sed Doctores Latini solo filio attribuunt nomen imaginis. Non enim inuenitur in canonica scriptura, nisi de filio. Dicitur enim Coloss. 1. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ. Et ad Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Huius autem rationem assignant quidam ex hoc, quod filius convenit cum patre, non solum in natura, sed etiam in notione principij: Spiritus autem sanctus non convenit cum filio, nec cum patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere: quia sicut secundum relationes non attenditur in divinis, neque æqualitas, neque inæqualitas, (vt August. dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis. Vnde alij dicunt, quod Spiritus sanctus non potest dici imago filij, quia imaginis non est imago: neque imago patris, quia etiam imago refertur immediate ad id cuius est imago. Spiritus sanctus autem refertur ad patrem per filium. Neque etiam est imago patris & filij, quia sic esset vna imago duorum, quod videtur impossibile. Vnde relinquitur, quod Spiritus sanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est, quia pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, vt infra dicitur. Vnde nihil prohibet sic patris, & filij (in quantum sunt vnum) esse vnam imaginem, cum etiam homo totius Trinitatis sit vna imago. Et ideo aliter dicendum est, quod sicut Spiritus sanctus (quamvis sua processione accipiat naturam patris sicut & filius, non tamen dicitur natus) ita licet accipiat speciem similem patris, non dicitur imago: quia filius procedit, vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris quamvis hoc conveniat amor, qui est Spiritus sanctus in quantum est amor divinus.

Ad primum ergo dicendum, quod Damasc. & alij Doctores Græcorum communiter vtruntur nomine imaginis pro perfecta similitudine.

Ad secundum dicendum, quod licet Spiritus sanctus sit similis patri, & filio, non tamen sequitur, quod sit imago rationis: iam dicta.

Ad tertium dicendum, quod imago

alicuius dupliciter in aliquo inuenitur. Vno modo in re eiusdem naturæ secundum speciem, vt imago regis inuenitur in filio suo. Alio modo, in re alterius naturæ, sicut imago inuenitur in denario. Primo autem modo filius est imago patris, secundum autem modo dicitur homo imago Dei, & ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed filius Dei non dicitur esse ad imaginem, quia est perfecta patris imago.

Conclusio est, secundum sententiam Patrum Lat. norum solus filius in diuinis dicitur imago. Circa iteram vtriusque articuli nihil est, quod indiget notatione, & explicatione: nam, quod attinet ad eorum doctrinam, sequenti disputatione explicabimus, quod vero hic nonnulli dicunt recentiores, an in creatura rationali sit imago Trinitatis, & in irrationali sit veligium, extra rem omnino videtur. Quæstionem hanc disputat Thomas in 1. 2. q. 3. & Bonauent. in 1. dist. 3. p. 2. art. 1. & 2. Scotus quest. 5. & 9. Durand. 1. parte dist. 1. quest. 1. & 2. parte quest. 1. Cap. col. quest. 1. & 5. Gabriel quest. 1. & 10. Marfil. in 1. dist. 3. quest. 7. & Ferrarini, 4. dist. 1. tra. gentes, cap. 25.

DISPUTATIO CLXV.

An ratio imaginis solum conveniat filio.

Opiniones Durandi, cap. 1.

Rationem imaginis soli filio proprie convenire, authoritate probatur, cap. 2.

In Deo esse rationem imaginis proprie ratione probatur, cap. 3.

Rationem imaginis in Deo soli filio convenire, variè a Doctoribus probatur, cap. 4.

Optima ratione ostenditur solum filium esse imaginem Patris, cap. 5.

CAPVT I.

Opinio Durandi.

Durand. in 1. dist. 18. eodem fere modo de imagine, atque de verbo Philosophatur. Dicitur igitur primum, imaginem in diuinis non videri propriè, sed impropiè, & latiori quadam significatione. Probat vero hac ratione: quia autem imago Deo convenit respectu creaturæ, autem personæ respectu alterius respectu creaturæ propriè dici non potest. Quia imago propriè dicitur producta ad imitationem illius, cuius est imago: in Deo autem nihil est productum ad imitationem creaturæ: ergo in eo non est imago creaturæ. Nec obstat, quod dicitur Deus imago creaturæ, cum Scriptura ait, Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram, ibi enim sumitur imago impropiè, nimirum pro ipso exemplari: ratio est autem eius imitationem fieri aliquid dicitur, sicut ad illius imitationem. Hoc sensu accipitur etiam ad illius imitationem. Hoc sensu accipitur etiam, Chrysost. serm. 5. aduersus Anomæos, postea dicitur, explicans eundem locum Genesis cum dicitur, esse vnam, & eandem, æqualemq; imaginem patris, & filij. Nec esse potest imago in vna personā respectu

respectu alterius, quia de ratione imaginis est similitudo, at inter diuinas personas non est propriè similitudo, quia illorum similitudo est solum ratio quædam rationis, vt disput. 167. ostendemus ergo nec propriè est imago.

Addit. Deinde Durandus. Si imago sumatur improprie, & latiore significatione, conuenire non solum filio, sed etiam spiritui sancto: non dicitur esse quid essentialiter, quia putat, de ratione imaginis esse processionem, sed ait conuenire vtri-que personæ procedenti, quia vtræque procedit similis producenti. Subdit tamen, appropriari filio, quemadmodum essentialiter nonnunquam appropriantur alicui personæ, vt nomen, Amor, Spiritui sancto; tum quia, & nomen filius communiter præfert imaginem patris, dicitur enim filius, quasi sit sicut ille, hoc est, sicut pater. Tum etiam, quia filius procedit modo naturæ, hoc est, ab vno: modus autem naturæ producit simile, at Spiritus sanctus non procedit modo naturæ, sed modo voluntatis, vt ex mente illius explicauimus supra disput. 113. cap. 4. quare licet reuera procedat similis, id tamen non habet ex modo procedendi, quia modus voluntatis ex se non producit sibi simile. Videtur autem consentire Aureol. apud Capreolum in 1. distinct. 27. quæst. 2. artic. 2. in argumentis contra sextam conclusionem, ait enim, tam Spiritui sancto, quam filio conuenire rationem imaginis, quia vtrique procedit similis ex modo suæ productionis, additque, non esse de ratione imaginis procedere ab eo, quod repræsentat. Accedunt Basil. lib. 5. contra Eunomium cap. 12. in princip. & Damasc. lib. 1. de fide, ca. 8. & Gregor. Thaumaturgus in Confessione fidei, quæ extat apud Gregor. Nyssen. in vita illius Athanasii, in Epist. illa longa ad Serapionem post medium, qui vocant Spiritum sanctum imaginem filij, quam sententiam dixit S. Thomas art. 1. esse Græcorum Patrum.

CAPVT II.

Rationem imaginis soli filio propriè conuenire, auctoritate probatur.

Vera, & communis in hac re sententia duo asserit: vnum est, verè & propriè absque vlla metaphora imaginem in Deo repetiri, alteru est, rationem hanc imaginis Deo non conuenire essentialiter, sed notionaliter alicui personæ, videlicet soli filio. Priorem partem huius sententiæ tradunt S. Thom. Caiet. & recentiores Thomistæ in hac quæst. Bonauent. in 1. distinct. 31. part. 2. art. 1. quæst. 1. Capreol. in 1. distinct. 27. quæst. 2. art. 1. conclus. 6. Henricus quodlibet. 4. quæst. 2. Canariensis in quæst. 27. artic. 2. & 4. parte commentarij, Augustinus etiam & Patres, quos infra commemorabimus, aliquam personam in diuinis appellant imaginem absolute, sicut etiam Scriptura ad Coloss. 1. de filio ait. Qui est imago Dei inuisibilis, ad Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, Græcè. ὁ ὁμοεικὸς, hoc est, hypostasis aut personæ ipsius, vt supra disput. 24. cap. 4. vidimus. Quod si hæc Patrum & Scripturæ testimonia absque vlla improprietas explicari possunt, vt cap. 3. & 4. ex definitione imaginis parebit, temere ad tropos & figuras confugiemus.

Posteriorem partem huius sententiæ, quæ asserit, rationem imaginis absque appropriatione soli filio esse tribuendam, amplectuntur etiam S. Thom. Caiet. Recentiores Capreol. Henricus, & Vazquez in 1. partem Tom. II.

Canariensis locis citatis, & Bonauent. in eodem art. 1. quæst. 2. tamen si in ratione reddenda non omnes consentiant. Ex Patribus vero non solum Latini, sed Græci etiam filium solum imaginem appellant. Origenes lib. Periarchon cap. 2. cum latissime probet, filium esse imaginem patris, capite sequenti differens de Spiritu sancto, nunquam ipsum imaginem vocat. Quinimo ex Græcis Athanas. sermone 4. contra Arianos, non multum ab initio affirmat, solum filium esse imaginem: de Martyribus enim sic loquitur: Qui ergo sit, vt cum isti istius modi sint, solus tamen filius vnigenitus, & verbum. & sapientia appelletur: aut cur, cum tot sint similes patri, solus hic sit imago? Huius vero rationem subinde latius prosequitur. Et in Epistola de decretis Nicenæ Synodi parum ante medium, ita scribit, Et quandoquidem vnus est Deus, necessarium est quoque, vnum esse Dei imaginem, quæ ipsius est filius. Et paulo post, Si eum imaginem nomines filium hoc ipso eum esse indicaueris, quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies: de quo testimonio disput. 113. cap. 7. etiam diximus.

Ex Latinis vero Hylarius lib. 7. de Trinit. sub fin. August. lib. 3. de Trinit. cap. 2. lib. cap. vlt. Richard. de sancto Victore lib. 6. de Trinit. cap. 19. & Rupert. lib. 1. de Trinit. cap. 2. soli filio tribuunt rationem imaginis. Rupertus autem dicit verbum esse imaginem, sed Spiritum sanctum similitudinem vtriusque, vt ita explicet illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem, &c. refertur etiam pro hac sententia Anselm. in Monolog. cap. 37. ibi tamen solum docet, filium ita esse verbum, & imaginem patris, vt pater non sit imago, vt colligitur ex vltimis verbis capituli, de Spiritu sancto nihil asserit. Basilus ergo, & Damasc. Thaumaturgus, & Athanasius superiori cap. allegati, videntur mihi non propriè locuti, cum Spiritum sanctum etiam appellent imaginem attendentes potius rationem similitudinis fundatam in vnitæte naturæ, quam naturam imaginis, quæ in repræsentatione & origine consistit.

CAPVT III.

In Deo esse rationem imaginis propriè, ratione probatur.

Ceterum iam ratione confirmemus priorem partem nostræ sententiæ, videlicet rationem imaginis propriè Deo conuenire: id quod ex ipsa imaginis definitione perspicuum fiet. August. lib. imperfectæ de Genesi ad literam cap. 16. & lib. 5. quæst. 4. & lib. 83. quæst. 74. docet imaginem non esse quancumque similitudinem, sed eam solum, quæ est expressa ad repræsentandum; quare putat, imaginem suam naturam habere originem ab eo, quod repræsentat, & cuius dicitur imago, & ob hanc rationem dicit, vnum ouem esse alteri simile; non tamen esse eius imaginem.

Ex hac definitione sequitur, rationem similitudinis, quæ fundatur in vnitæte qualitatis, aut naturæ, nec sufficere ad rationem imaginis, nec requiri: Primum quidem non sufficere iam probatum est, deinde eam non requiri, sic ostenditur. Ratio imaginis, quæ est similitudo ad repræsentandum expressa, potest esse sine hac vnitæte naturæ, imò cum magna diuersitate, vt constat in verbo, & cognitione mentis nostræ, quæ est imago rei intellectæ, alterius tamen omnino naturæ.

R 3

S. Thom.
Caietan.
Recentior.
Capreol.
Henricus.
Canar.
Bonauent.
Origenes.
Athanas.

Testimoniū
Latin. & m.

Rupert.

Anselm.

Aliqui Patres
exponuntur.

Imago
quid sit
August.

Vnitæte
naturæ
nec
sufficit,
nec
requiritur
ad rationem
imaginis.

turæ ea solum ratione, quia est expressa ad repræsentandum, ergo similitudo in natura non requiritur. Colligitur etiam, in diuinis esse imaginem propriè absque vlla prius imperfectione, hoc modo. In diuinis est verbum expressum vi sue processions ad repræsentandum: ergo est propriè & absque vlla imperfectione imago: quomodo vero hoc sit proprium verbi, & Spiritui sancto non conueniat, cap. 5. videbimus.

Denique ex dictis inferitur, imaginis ad eum, cuius est imago, esse relationem realem. Nam cum imago ab eo realiter procedat, cuius esse dicitur, & ad illum referatur; efficitur, ut eius ratio sit realis, nempe fundata in reali origine, & processione. Atque hinc iam apparet, quam debile sit argumentum, quo Durandus in primo capite probare nitebatur, in Deo non esse propriè imaginem, quia non est propriè similitudo. Nam quamuis similitudo fundata in vnitæ nature, ut propriè sit similitudo, debeat esse relatio realis, & in diuinis sit tantum rationis; tamen, cum hoc genus similitudinis non sit de ratione imaginis, nihil obstat, quo minus in Deo sit vera, & propria ratio imaginis, si ibi est vera, & propria ratio expressionis ad repræsentandum, nulla adhuc existente propria ratione similitudinis priori illo modo.

CAPVT IV.

Rationem imaginis in Deo soli filio conuenire, variè à Doctoribus probatur.

8. **T**Ametsi Doctores 2. cap. allegati contra Durandum doceant, soli filio æterni patris conuenire rationem imaginis, id tamen non eodem modo probant. Commemorabo igitur eorum præcipuas rationes, ut ex illis meliorem facilius eligam.

Prima ratio sit Bonauent. in 1. distict. 31. 2. parte distict. artic. 1. quæst. 2. qui hanc sententiam probatur quia filius tantum est similitudo vnus: tum etiam quia filius assimilatur patri, non solum in natura, sed etiam in proprietate, & notione, eo, quod accipit eandem naturam à patre cum potentia eam communicandi Spiritui sancto: inde autem recte colligi, soli filio conuenire rationem imaginis, probat Bonauent. hoc modo, in diuinis est imago secundum perfectissimam rationem, perfectissima autem imago debet esse vnus: nam quæ est duorum imago, cum sit quasi in plura diuisa, non videtur esse perfectissima. Tum etiam debet esse vnus: nam quæ est duorum imago, cum sit quasi in plura diuisa, non videtur esse perfectissima. Tum etiam debet esse secundum omnem modum; nam si solum esset in essentia, non in proprietate, vel contra, non esset maxima, quæ esse potest. Hanc rationem, quod attinet ad eius partem posteriorem, desumpsit ex Ricardo de sancto Victore lib. 6. de Trinit. cap. 19. 20. & 21. cuiusque meminit S. Thomas in hac quæst. artic. 2. & quod spectat ad posteriorem partem idem S. Thomas eam sic impugnat, quia in diuinis non attenditur similitudo secundum proprietates, sed secundum naturam, ut disput. 167. dicemus. Adde, quod si attendetur similitudo secundum proprietates personales, non esset maxima in Deo, cum sint oppositæ, magisque duæ creaturæ personæ assimilarentur in proprietatibus, quia non opponerentur, quam

diuinæ. Eandem etiam rationem supra disput. 11. cap. 3. ostendimus infirmam esse ad probandum, solum verbum in diuinis propriè generari in Spiritum sanctum. Porro imaginem summe perfectam, debere esse vnus, vnde iam constat, si duos ita perfectè representat, atque quemlibet illorum; Nihil etiam obstat, quo minus Spiritus sanctus sit filius, quod à duobus procedat, non sicut à patre, & matre, ostendimus disput. 113. 43. contra August.

Secunda ratio eiusdem Bonauent. & Henrici locis citatis in 2. c. est huiusmodi. De ratione imaginis est procedere modo naturali, atque Spiritus sanctus non procedit hoc modo, quia producit per voluntatem, & ideo liberaliter videtur productus: filius autem procedit modo naturali, ergo vnitas naturæ; quæ in utroque repetitur in solo filio constituit rationem imaginis. Hanc eandem rationem adduximus eo eodem Bonauent. & alijs disput. 113. c. 4. ad probandum secundam personam diuinam esse verè filium, at verè Spiritum sanctum non esse, atque ibidem contra illam probauimus, utique personam modo naturali omnino procedere, & ex hac parte æquales esse, quare aut utriusque ratio filij, & imaginis, aut neutri hac ratione conueniet.

Tertia ratio Henrici, & Capreoli locis allegatis, quam amplectitur & late confirmat Caiet. in hac q. art. 2. est huiusmodi. Filius procedit per intellectum: ergo vi sue processions producit similis productio intelligendi: ac proinde habet virtutem suæ productionis, & non aliunde esse similem principio, in quo consistit ratio imaginis: at Spiritus sanctus, licet procedat similis principio, id certe non habet quatenus procedit per voluntatem, ex vi propriæ processions, sed aliunde: quia scilicet est in natura diuina, quare non ex principio, sed ex natura quasi subiecti id habet, de ratione autem imaginis est, procedere simile principio formaliter & ex vi productionis, non materialiter propter subiectum, in quo est, ego solus filius, non Spiritus sanctus est imago personæ à qua procedit, quomodo vero secunda personæ id habeat ex vi sue processions, non Spiritus sanctus, fusius explicat, ut vidimus disput. 113. c. 2. 5. Huc etiam spectat ratio, Ferraricensis 4. contra gentes capitul. 11. eodem capite relata, quæ probat Spiritum sanctum non esse filium, licet procedat similis, quia non procedit similis ex vi sue processions, sicut filius, & videtur esse doctrina S. Thomæ in hac quæst. artic. 2. sed verumque eodem proferus modo impugnanda est, quæ ibidem utramque refutauimus, ex qua impugnatione constabit, non minus ex vi sue processions Spiritum sanctum procedere similem in natura, quam filium; ac proinde, si de ratione imaginis est procedere similem in eadem natura per se ex vi sue processions, & non aliunde, ut supponant Henricus, Capreolus, Caietanus, & Ferraricensis, quod tamen non satis probant, efficitur non minus Spiritum sanctum esse imaginem Patris & filij, quam Filium imaginem patris. Sed quia eo loco contra Caietanum, & Ferraricenses hæc superque ostendimus, non minus Spiritum sanctum procedere similem in natura vi sue productionis, nam filium, & horum Doctorum estigia præclusimus, non necesse, iterum contrariè disputare.

Alij denique eam reddunt rationem, quia de ratione imaginis est, exprimi ad imitationem alicuius per intellectum, ergo, cum filius per intellectum exprimat, Spiritus sanctus per voluntatem; sequitur, filium esse imaginem patris expressam, at vero Spiritum sanctum non esse. Hæc ratio supponit definitionem imaginis, quam nullus hactenus tradidit, licet enim aliqua imago producat per intellectum, vt est artificialis, & verbum mentis, non tamen omnis imago hoc modo producat. Nam quis negat Adamum genuisse filium suum Seth, & in eo sui imaginem expressisse? Denique cum omnis filius præfereat imaginem patris recte reperiri potest imago, quæ non procedat per intellectum. Ideo, vt vidimus in ea disput. 13. cap. 7. recte colligit Athanasius verbum Dei esse filium, ex eo, quod non sequeretur: nisi de ratione filij esset imago, & quamuis imago latius pateat, quam filius, tamen imago substantialis in eadem natura recipitur cum filio, & ex hac colligit Athanasius verbum esse filium, si est imago.

CAPVT V.

Optima ratione ostenditur, solum filium esse imaginem patris.

Ceterum ex definitione tradita cap. 3. recte potest inferri, soli filio rationem imaginis conuenire. Definitio autem talis est, Similitudo expressa ad representandum, & vt notauimus eo capite, ea similitudo dicitur imago, quæ est ad representandum expressa, siue illa habeat unitatem naturæ cum re representata, siue non: nam utroque modo esse potest imago. Rursus si contingat aliquam esse similitudinem duorum in natura, & vnum ab alio orti, non sequitur, illud, quod est ab alio, & ei simile, esse imaginem illius, nisi illud representat id, à quo ducit originem, & ideo non est illius similitudo, vt videmus in generatione vniuocæ non viciem, in quibus producit vnum simile ab alio: quod idem non est illius imago, quia non representat illud: igitur enim productus non magis representat hunc ignem producentem, quam alium, cum eodem modo omnibus alijs similibus sit.

Præterea obserua cum Canariensis in artic. 2. huius quæst. 4. parte commentarij, imaginem debere expressam ad hunc finem, vt representet, vel arte, vel natura; dicitur autem natura eo sine similitudinem exprimere, quando reuera similitudo natura producta repræsentat: finis enim naturæ in operando ex ipso opere producto desumitur, quod si casu sigillum imprimi figuram in cera, vel alia materia, verè producit imaginem, quia illius productio reducitur in artificialem, quæ ea intentionem ad imitationem producta est.

Hinc recte colligit Canariensis, verbum diuini non verè & proprie esse patris imaginem: est enim similitudo patris, quod nullus negat expressa per intellectum, vt verbum illius, sicut disput. 14. prædictum est: ergo est expressa similitudo ad representandum id, à quo procedit, vt à principio intelligibili, & obiecto per se. Quare, cum patrem hoc modo representet, & ex illo hoc modo procedat, vt disput. 142. cap. 3. probauimus erit illius imago, cum quæ non procedat ab Spiritu sancto, vt à principio intelligibili, etiam si secundariè

ipsum representat non erit imago eius, vt ibidem etiam cap. 4. ostendimus, eademque ratione non est imago creaturarum, vt disput. 143. cap. 3. probatum manet. Verbum autem in diuinis patrem representare ipsum patri, & non alteri, constat ex disput. 144. cap. 2.

Veramenimvero Canar. non probat, quomodo Spiritui sancto non conueniat ratio imaginis, id autem facili ratione ex dictis sequitur. Nam, vt Spiritus sanctus esset imago, deberet non solum esse similis in natura, sed etiam representare eos, à quibus procedit: atqui nullum representat: ergo non est alicuius imago, namque si aliquem representaret, alicui intelligenti, nulli autem representat patri, nec filio, cum neutri se ipsum intelligat Spiritu sancto, neque tanquam forma, neque tanquam termino suæ intellectiois, nec representat sibi ipsi, nisi quatenus essentiali intellectioe, quæ est sua ipsius essentia, cognoscit se, & alias personas in seipso, nec representat alicui intellectui creato, non viatori, vt perspicuum est, non videnti Deum sicuti est: nam qui tres personas clare intuetur, non videt vnā, quia in alia representaretur, sed omnes æquè primo intuetur, ergo nulli intellectui Spiritus sanctus representat, nec representare potest, quare nec alicuius imago est.

Duo super sunt in hac disput. notanda. Vnum est, ratione imaginis conuenire filio, non ratione solius essentie, quia imago notionalis proprietas est, nec ratione solius proprietatis personalis, sed ratione vtriusque, vt de verbo superiori disputat. dictum est, quia ratione vtriusque conuenit filio representare patrem ipsi patri, tanquam dicenti, & intelligenti. Alterum est, eandem esse proprietatem filiationis, imaginis, & verbi, quamuis diuerso modo significetur. Quia aliquid connotat vna, quod non connotatur alia, filius enim solam significat relationem procedentis ab alio per generationem: verbum autem præter hanc, quam expressè, & speciatim non significat, connotat respectum rationis ad creaturas, cum vero non connotat imago: hæc autem se habet ad filiationem, sicut ratio communis ad particularem, vt disput. 137. cap. 5. notauimus, quare vero non sint tres notiones diuersæ, ibidem etiam ostendimus. Immerito tamen dixit Bonauent. in 1. distinct. 31. parte 2. art. 1. quæst. 3. in fine, imaginem præter respectum ad patrem connotare etiam relationem ad Spiritum sanctum. Nam cum nullo modo ab eo procedat, vt disput. 143. cap. 4. probauimus, nullum ad illum connotabit respectum in ratione imaginis, quamuis illum secundariè saltem representat.

QVÆSTIO XXXVI.

De iis, quæ pertinent ad Spiritum sanctum personam.

Post considerationem prædictam considerandum est de his, quæ pertinent ad personam Spiritus sancti: qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor, & donum Dei.

Circa spiritum sanctum ergo quaruntur quatuor.

R 4

ARTI

ARTICVLVS I.

*Verum hoc nomen, Spiritus sanctus, sit proprium nomen
alicuius personæ diuinæ.*

194.
22 q. 14. ar.
tic. 1. cor. 1.
1. di. 10. ar.
4. Et 4. con.
g. 1. c. 9. f.
Ch. mal. q. 3.
ar. 1. 4. co.
opu. 3. c. 46.
Ch. 47.
Libro 8. de
Trin. circa
med. libri.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen, Spiritus sanctus non sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ. Nullum enim nomen commune tribus personis est proprium alicuius personæ: sed hoc nomen Spiritus sanctus, est commune tribus personis. Ostendit enim Hilarius de Trinitate in spiritu Dei aliquando significari patrem, ut cum dicitur spiritus Domini super me. Aliquando significari filium, ut cum dicitur filius: In spiritu Dei eicio dæmonia, naturæ suæ potestate eicere se dæmonia demonstrans. Aliquando de spiritu sancto, ut ibi, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ergo hoc nomen Spiritus sanctus non est proprium alicuius diuinæ personæ.

*Declinando
ad fin. lib.*

2. Præterea. Nomina diuinarum personarum ad aliquid dicuntur, ut Boeth. dicit in lib. de Trinitate. Sed hoc nomen Spiritus sanctus non dicitur ad aliquid. Ergo hoc nomen non est proprium diuinæ personæ.

3. Præterea. Quia filius est nomen alicuius diuinæ personæ, non potest dici filius huius, vel illius. Dicitur autem spiritus huius, vel illius hominis. Ut enim habetur, Num. 11. Dixit dominus ad Moysen de spiritu tuo accipiam, tradamque eis. Et 4. Reg. 2. Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum. Ergo Spiritus sanctus non videtur esse proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

*Ca. 2. Ch. se-
quent. 10. 3.*

Sed contra est, quod dicitur 1. Ioan. ult. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Ut autem August. dicit 7. de Trinitate cum quaeritur quid tres? dicimus, tres personæ. Ergo Spiritus sanctus est nomen diuinæ personæ.

*q. 27. ar. 4.
ad 3.
q. 28. ar. 4.*

Respondendo dicendum, quod cum sint duæ processiones in diuinis, altera earum quæ est per modum amoris, non habet proprium nomen, ut supra dictum est. Vnde, & relationes, quæ secundum huiusmodi processionem accipiuntur, innotata sunt, ut etiam supra dictum est. Propter, quod, & nomen personæ hoc modo procedentis eadem ratione non habet proprium nomen, sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex usu loquentium ad significandum prædictas relationes, cum nominamus eas nomine processionis, & spirationis, quæ secundum proprietatem significationis magis videntur significare actus notionales, quam re-

lationes: ita ad significandum diuinam personam, quæ procedit per modum amoris accommodatum est ex usu Scripturæ hoc nomen, Spiritus sanctus. Et huius quidem conuenientia ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex ipsa communitate eius, quod dicitur Spiritus sanctus. Ut enim August. dicit 15. de Trinitate. Quia Spiritus sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Nam, & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus, & Pater est sanctus, & Filius est sanctus. Secundo vero ex propria significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsione quandam, & motionem significare videtur. Nam flatum, & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona diuina procedit per modum amoris quo Deus amatur conuenienter Spiritus sanctus nominatur.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dico Spiritus sanctus, prout sumitur in virtute duarum dictionum commune est toti Trinitati, quia nomine spiritus significatur immaterialitas diuinæ substantiæ. Spiritus enim corporeus inuisibilis est, & parum habet de materia. Vnde omnibus substantijs immaterialibus, & inuisibilibus hoc nomen attribuitur. Per hoc vero, quod dicitur sanctus, significatur puritas diuinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc, quod dico Spiritus sanctus, in vi vnius dictionis sic ex usu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam vnam trium personarum, scilicet, quæ procedit per modum amoris ratione iam dicta.

Ad secundum dicendum, quod licet hoc quod dico Spiritus sanctus, relatiue non dicatur, tamen pro relatiuo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab aliis distinctam. Potest tamen intelligi nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus.

Ad tertium dicendum, quod in nomine filij intelligitur sola relatio eius, quæ est à principio ad principium: sed in nomine Patris intelligitur relatio principij. Et similiter in nomine spiritus, prout importat quandam vim motiuam. Nulli autem creature competit esse principium respectu alicuius diuinæ personæ, sed e conuerso. Et ideo potest dici pater noster, & spiritus noster: non tamen potest dici filius noster.

Conclusio

Conclusio est. *Nomen Spiritus sanctus vsus Ecclesiæ accommodatum est tertie personæ. Cuius optimam reddit rationem Sanctus Doctor in articulo, eo, quod tertia persona procedat per voluntatem, per modum cuiusdam impetus, & spirationis. Conuenit Durandus in conclusione, sed in ratione dissentit. Quia, ut vidimus disput. III. putat ipse, Spiritum sanctum non procedere per voluntatem, sed proximè per naturam, sicut, & Filius, cuius sententiam ibidem impugnauimus.*

ARTICVLVS II.

Verum Spiritus sanctus procedat à Filio.

ARTIC. II.

207

non procedat. Dicit enim Anselm. in lib. *Eodem loco nunc dicto.* de processione Spiritus sancti: Habent utique à Patre esse Filius, & Spiritus sanctus, sed diuerso modo, quia alter nascendo, & alter procedendo, ut alij sint per hoc ab inuicè. Et postea subdit: Nam si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diuersi. Ergo Spiritus sanctus distinguitur à Filio ab eo non existens.

Sed contra est, quod dicit Athanasius, *In Symbolo suo fidei.* Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere Spiritum sanctum à Filio esse. Si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Quod ex *q. 27. art. 3. & q. 30. art. 1. c. 2.* supradictis patet. Non enim est possibile dicere, quod secundum aliquid absolutum diuinæ personæ ab inuicem distinguantur: quia sequeretur, quod non esset trium vna essentia. Quicquid enim in diuinis absolute dicitur, ad vnitatem essentiae pertinet. Relinquitur ergo, quod solum relationibus diuinæ personæ ab inuicem distinguantur. Relationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundum quod sunt oppositæ. Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad Filium, & alia ad Spiritum sanctum: quæ tamen, quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, sed ad vnā personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio & in Spiritu sancto non esset inuenire nisi duas relationes, quibus vterque refertur ad Patrem, illæ relationes non essent ad inuicem oppositæ, sicut neque duæ relationes quibus Pater refertur ad filios. Vnde sicut persona Patris est vna, ita sequeretur, quod persona Filij, & Spiritus sancti esset vna, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo, quod Filius, & Spiritus sanctus ad inuicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in diuinis aliæ relationes oppositæ nisi relationes originis, ut supra probatum est. Oppositæ autem relationes originis, accipiuntur secundum principium, & secundum, quod est à principio. Relinquitur ergo, quod necesse est dicere, vel Filium esse à Spiritu sancto, quod nullus dicit, vel Spiritum sanctum esse à Filio, quod nos confitemur: & huic quidem consonat ratio processionis vtriusque. Dictum enim est supra, quod Filius procedit per modum intellectus, ut verbum, Spiritus

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio. Quia secundum Dionysium, non est audendum dicere aliquid de substantiali diuinitate præter ea quæ diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa. Sed in Scriptura sacra non exprimitur, quod Spiritus sanctus à Filio procedat, sed solum, quod procedat à Patre, ut patet Ioan. 15. Spiritum veritatis qui à Patre procedit. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Filio.

2. Præterea. In Symbolo Constantino-politane Synodi sic legitur: Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem ex Patre procedentem cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum. Nullo igitur modo debuit addi in Symbolo nostro, quod Spiritus sanctus procedat à Filio: sed videtur esse anathematis rei qui hoc addiderunt.

3. Præterea. Damasc. dicit Spiritum sanctum ex Patre dicimus: & Spiritum patris nominamus: ex filio autem Spiritum sanctum non dicimus: Spiritum vero Filij nominamus. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Filio.

4. Præterea. Nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed Spiritus sanctus quiescit in Filio. Dicitur enim in legenda beati And. Pax vobis: & vniuersi qui credunt in vnum Deum Patrem, & vnum Filium eius vnicum dominum nostrum Iesum Christum, & in vnum Spiritum sanctum procedentem ex Patre, in Filio permanentem. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Filio.

5. Præterea. Filius procedit in verbum: sed Spiritus noster in nobis non videtur procedere à verbo nostro. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Filio.

6. Præterea. Spiritus sanctus perfectè procedit à Patre. Ergo superfluum est dicere, quod procedit à Filio.

7. Præterea. In perpetuis non differunt esse, & posse, (ut dicitur in .i. Physic.) & multo minus in diuinis. Sed Spiritus sanctus potest distingui à Filio, etiam si ab eo

Spiritus sanctus autem per modum voluntatis, ut amor. Necesse est autem, quod amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus nisi secundum, quod conceptione mentis apprehendimus. Vnde, & secundum hoc manifestum est, quod Spiritus sanctus procedit à Filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nisi quàm enim hoc inuenimus, quod ab vno procedant plura absque ordine, nisi in illis solum quæ materialiter differunt. Sicut vnus faber producit multos cultellos materialiter ab inuicem distinctos, nullo ordinem habentes ad inuicem. Sed in rebus in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Vnde etiam in ordine creaturarum productarum, decore diuinæ sapientiæ manifestatur. Si ergo ab vna persona Patris procedunt duæ personæ, scilicet, Filius, & Spiritus sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad inuicem. Nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturæ, quod alius est ex alio. Non est igitur possibile dicere, quod Filius, & Spiritus sanctus, sic procedant à Patre, quod neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis materiam distinctionem, quod est impossibile. Vnde etiam ipsi Græci processionem Spiritus sancti aliquem ordinem habere ad filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum sanctum esse Spiritum Filij, & esse à Patre per Filium. Et quidam eorum dicuntur concedere, quod sit à Filio, vel profluat ab eo, non tamen, quod procedat. Quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex proteruita esse. Quia si quis recte consideret, inueniet processionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcumque pertinent, communissimum esse. Vt enim eo ad designandum qualemcumque originem. Sicut, quod linea procedit ex puncto, radius à Sole, riuus à fonte. Et similiter in quibuscumque alijs. Vnde ex quocumque alio ad originem pertinente potest concludi, quod Spiritus sanctus procedit à Filio.

Ad primum ergo dicendum, quod de Deo dicere non debemus, quod in sacra Scriptura non inuenitur, vel per verba, vel per sensum. Licet autem per verba, non inueniatur in sacra Scriptura, quod Spiritus sanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantum ad sensum, & præcipue, vbi dicit Filius, Ioan. 16. de Spiritu sancto loquens: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Regulariter etiam in sacra Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio

intelligi: etiam si dictio exclusiua addatur nisi solum in illis, in quibus Patet, & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matt. 11. dicit: Nemo nouit Filium, nisi pater, non excluditur quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, quod Spiritus sanctus à Patre procedit, etiam si adderetur, quod à solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponuntur Pater, & Filius: sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, & ille Filius.

Ad secundum dicendum, quod in quolibet Concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in concilio damnabatur. Vnde sequens concilium non faciebat aliud symbolum quam primum: sed id, quod implicite continebatur in primo symbolo, per aliam qua addita explanabatur contra hæreses insurgentes. Vnde determinatione Chalcedon. Synodi dicitur, quod illi, qui fuerunt congregati in Concilio Constantinopolitano, doctrinam de Spiritu sancto tradiderunt: non quod minus esset in precedentibus, qui apud Nicæam congregati sunt, inferentes: sed intellectum eorum aduersus hæreticos declarantes. Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum, nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum sanctum non procedere à Filio: non fuit necessarium, quod hoc explicite poneretur. Sed postea insurgente errore quorundam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis: cuius auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur. Continebatur tamen implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus sanctus à Patre procedere.

Ad tertium dicendum, quod Spiritum sanctum non procedere à Filio, primo fuit à Nestorianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum damnatum in Ephesina Synodo. Et hunc errorem sequutus fuit Theodoretus, Nestorianus, & plures post ipsum. Inter quos fuit etiam Damasc. Vnde in hoc, eius sententiæ non est standum. Quamuis à quibusdam dicatur, quod Damasc. sic non confitetur Spiritum sanctum esse à Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum.

Ad quartum dicendum, quod per hoc quod Spiritus sanctus dicitur quietare, vel manere in Filio, non excluditur quod ab eo procedat: quia, & Filius in Patre manet.

manere dicitur, cum tamen à Patre procedat. Dicitur etiam Spiritus sanctus in Filio quiescere, vel sicut amor amantis quiescit in amato: vel quantum ad humanam naturam Christi, propter id, quod scriptum est, Ioan. 1. Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat.

Ad quintum dicendum, quod verbum in diuinis, non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis, à quo non procedit spiritus: quia sic tantum metaphoricè diceretur, sed secundum similitudinem verbi mentalis, à quo amor procedit.

Ad sextum dicendum, quod per hoc quod Spiritus sanctus perfectè procedit à Patre, non solum non superfluum est dicere, quod Spiritus sanctus procedat à Filio, sed omnino necessarium: quia vna virtus est Patris, & Filij. Et quicquid est à Patre, necesse est esse à Filio, nisi proprietati filiationis repugnet. Non enim Filius est à se ipso, licet à Patre.

Ad septimum dicendum, quod Spiritus sanctus distinguatur personaliter à Filio in hoc, quod origo vnius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentis originis est per hoc, quod Spiritus sanctus est solum à Patre, Spiritus sanctus vero à Patre, & Filio. Non enim aliter processiones distinguuntur: sicut supra ostensum est.

Conclusio est, Spiritus sanctus procedit non solum à Patre, sed etiam à Filio. Circa quam grauis nobis cum Græcis controuersia est.

DISPUTATIO CXLVI.

An Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio.

Spiritus sanctum à Filio non procedere Græci dogmatizant, cap. 1.

Hic error ex Scriptura refellitur, cap. 2.

Spiritus à Filio procedere definitum est ab Ecclesia, cap. 3.

Vbi addita fuerit primum symbolo Nicæno particula, Filioque, cap. 4.

Spiritus sanctum à Filio procedere docuerunt grauiissimi Patres Ecclesiæ Græcæ, cap. 5.

Eadem veritas ostenditur ex Patribus, qui dixerunt Spiritum sanctum esse à Patre per Filium, cap. 6.

Obligunt nobis Græci aliquos Patres Orientis, cap. 7.

CAPVT I.

Spiritus sanctum à Filio non procedere Græci dogmatizant.

Perulgata hæresis Græcorum, quæ ad nostra usque tempora peruenit, est, Spiritum sanctum à solo Patre procedere: quis tamen primus quidem si fides adhibenda est Epistolæ Iustiniani, quæ habetur in V. Concilio generali, Macedonius videtur esse, inquit enim de eo Iustinianus, Macedonius autem spirat à Patre solo Spiritum sanctum.

nam. Verum quidam recentiores Theologinon sine probabilitate putant, literam illam mendosam esse, & pro, spirat, legendam esse, separat, cum enim hic Macedonius cum Arrianis sentiret, Filium, & Spiritum sanctum non esse eiusdem substantiæ cum Patre, sed similes, vt disput. 105. cap. 1. & 100. cap. 2. iam dictum est, & huius sententiæ etiam fuit Eunomius, vt ibidem retulimus, fortassis cum illo docuit id, quod commemorat Basil. lib. 2. aduersus Eunomium, propè finem: Eunomius enim ita dicebat: Si è creaturis subuebatur aliquis ad substantiæ comprehensionem, intelligit Filium ingentis, (id est Patris) esse facturam, vniuersi vero Paracletum. Dicebat ergo Eunomius Spiritum sanctum esse factum à Filio, sed non à Patre, idè contra illum infert Basilus in hæc verba: Quo pacto autem diuindere Spiritum à Deo, non habet manifestum periculum? Et paulo infra: At hic in destructionem maiestatis Domini nostri Iesu Christi, à Patre quidem Spiritum remouet. Sic igitur fortassis Macedonius separabat Spiritum à Patre solo, cum dicebat, eum à Patre non procedere, sed à Filio: nam eius dicitur esse Spiritus, à quo procedit: ergo si à Patre non procederet, non diceretur illius esse, ac proinde ab eo separaretur. Ceterum siue hoc ita sit, siue ille fuerit alius Macedonius ab illo, qui Arrianus fuit; siue Arrianus ille vtrumque errorem variis temporibus docuerit, vt solet accidere, hæretici enim in varios colores errorum in dies mutantur, nihil horum certo constare potest.

Primus igitur author huius erroris, quem de Spiritu sancto nunc Græci sequuntur, absque vlla controuersia fuit Theodoretus, dum adhuc Nestorianus esset, vt constat ex impugnatione 9. anathematismi Concilij Alexandrini apud Cyillum in lib. ad Enoptiu. Extat etiam in Concilio Ephesino nuper per nostrum Theodorum Peltanum translatus in 2. tomo, cap. 37. Symbolum quoddam Nestorianorum, (nam, & Theodoretum multi sequebatur) in quo definitur, Spiritum sanctum nec esse à Filio, nec per Filium, sicut Theodoretus affirmabat. Atque idè merito S. Thom. in hoc artic. ad 2. huius symboli faciens mentionem dixit, hunc errorem primum à Nestorianis fuisse introductum. Sed cum Theodoretus à Concilio Ephesino esset anathematizatus, & ea, quæ contra Cyillum, & anathematismos prædictos scripsit, essent damnata, paulo post resipuit, & in Concilio Chalcedonen. ad communicationem Ecclesiæ, & ad patrem Catholicorum, receptus est. Quocirca hic error, quem obiter docuit, cum alio, qui præcipuus erat de Christi persona, omnino eo tempore videtur extinctus.

Porro, quo tempore, aut quis postea eum in Ecclesia Græca suscitauerit, non satis compertum est. Nonnulli arbitrantur tempore Pipini patris Caroli Magni iterum pullulasse. Nam vt refertur Amoinus, seu Annonius lib. 4. de gestis Francorum, cap. 67. Abbas Vpergensis, Sigibertus, Ado Viennen. & Regino in suis Chronicis, sub anno 766. Pipinus Rex Concilium Provinciale conuocauit in villam Gentiliacensem, vt quæstionem de Trinitate inter Græcos & Latinos definiret, quæ fuisse de processione Spiritus sancti, verosimile est, quia non videtur alia vquam quæstio de Trinitate suborta, quæ inter omnes Græcos, & Latinos versaretur: erroribus enim aliis Græcorum circa Trinitatem multi Latini consenserunt. Quare qui